

2135

LITURGICI.

2136

tis domini in dominicam euenerit, computandum est ab ipsa dominica et non a sequenti. Schema est ejus-

modi: Abbatis eremberti germanus

frater heinricus Monachus istam

collegit tabulam uerbis indoctis ad-

modum consulens. Oportet igitur

quemlibet studioso istum retinere

numerum literarum docentem cun-

ctos cristiani nominis quando usu-

aliter debeant carere carnibus &c.

Complectitur annos CLXIV. et

per decursum inuitat ad audien-

dum frifones Saxones westphalos

bauvaros foeuis adjunctis turingos

polonos heffones linguam teutoni-

cam uniuersam romanam sclau-

icam. Ad calcem: Explicit tabula

Heinrici Monachi. Hujus nominis

Coenobitam Haftigemensem Chro-

notaetica plura scripsisse tradit

Tritheimius in Catal. illustr. Viror.

Germ. f. 26. verum inter hujus

Coenobii Abbates nemo Erem-

bertus. Quid si lateret hic supra

dicti S. Gotthardi magister et Ab-

bas Altabensis Erkanpertus; satis

enim notum est, Erkanpertum,

Erchembertum, Erembertum,

Rembertum, q. d. honore dignum

vel splendidum, in idem recidere.

Vixit is Sec. X. exeunte. Capitula-

ris porro ipsius frontem ornat Eli-

sabetha Regina in genua proci-

dua, Deoque Codicem offerens.

Thecae recentiori impressum est

Scutum tribus liliis insigne jam a-
lias indicatum cum anno 1590.

DCCCXCI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 667

Folior. 377. 4. bene scriptus et
rubricis distinctus hoc titulo gau-

det: *Incipit prologus in matutina-*

le beate Marie virginis quod dici-

tur laus virginis. Praeit vero se-

quens Nota: Anno domini M^o.

LXXXVI^o. Vrbanus papa 2^o

Concilium celebravit in claromonte

aurelianensis dyocesis Et ibi consti-

tuit, quod hore ad honorem beate

marie virginis omni die dicerentur

et eius officium diebus sabbatorum

solemniter celebraretur, ut recitat

petrus aurelianensis super apoka-

lipf. visione ultima prope finem.

Qui claruit anno domini M^o. CCC^o.

Accedunt Benedictiones de beata

virgine cum Responsoris, quibus

praefixus annus 1. 4. 7. 9. Ad de

praedicto Statuto editionem Ve-

net. Concill. Labb. T. XII. col.

841. ubi notatur, Horas de B. V.

primum ab Eremitis e disciplina

Petri Damiani persolvi coeptas

esse. Pro anno Concilii supra in-

dicato rescribe 1095. Petrum

Aurelianens. qui in Apocalypsin

scripserit, adhuc quaero. Et jam

ad Prologum. Ad laudem matris

virginis eiusque sacratissime prolis

ad satisfaciendum quoque desiderio

venerabilis in christo patris Domi-

ni Meinardi de Noua Domo E-

lekti tridentini hoc deuocius requi-

rentis Ille cartusiensis qui iam pri-

dem

Z 2

dem

dem ad iussu imperatoris (Caroli IV.) et archiepiscopi pragen. (Arnesti) legendam de sex lectionibus cum omeliis de sancta Maria virgine pro mansionariis (Metropoliticae Prag.) comportauerat, in isto rursus volumine — elegantiora dicta de lectionibus illis excerpta pro singulis anni diebus per tres, in virginis vero festiuitatibus et natiuitatis christi per sex lectiones et omelias distinguens Anno domini M° CCC° LVI° studiose collegit. Prolixius videlicet illud fuisse, hinc praefens istud dici posse *Matutinale minus*. Subnotatur minio: extare etiam alium *Prologum* sub eodem principio, sed non esse istius compilatoris. Compilatorem hunc *Conradum* fuisse nomine, ex alio Codice sibi viso testatum reliquit *ὁ πᾶν* J. G. Schwandnerus noster. Incoluerit is Carthusiam *Horti B. M. V.* ad Pragam a Rege *Jobanne* fundatam et postea vastatam ab *Huffitis*, sed in *Bibliotheca Petreji* nulla eius mentio, neque in *Balbini Bob. docta. Mainardus* ex illustri Stirpe de *Nova Domo*, seu *Neubaus* Sedem *Tridentinam* nunquam adiit defunctus in patria a. 1362. Carthusianos Horas de Beata jam adoptasse vivo D. *Brunone* constat ex eius Vita apud *Surium* 6. *Octobr.* c. 21. 22. Lectiones porro *Matutinalis* nostri e diversorum PP. Operibus excerptae sunt, atque subiecta habent pulchra II. Diplomata, primum quidem *Arnesti* Archiep. Prag. datum *Rudnicz* 1356. die XXII. mens. *Septembr.* alterum *Gotfridi* (II. de

Weifseneck) *Patauiens.* Ep. datum *Patauie* in octaua corporis Christi 1358. quibus uterque Praeful novas has Lectiones recitaturis pro qualibet die XL. dies indulgentie de iniunctis eis penitentiis misericorditer in Domino condonat, eosque a debito recitandi antiquas absolvit. Accedit Rubrica: *Finitus est ille libellus Egregius per manus Michabelis filii doliatoris de Gors* (Collegio Can. Regular. in ditione *Salisb.* ad fines *Bavariae*, alias *Gars*) pro tunc temporis lectionis mense dotl. ibidem *Sub anno Domini M° CCCC° XXVII. feria VI. post festum sancti Martini ep.* et alia quaedam ad Officium de B. V. pertinentia.

II. fol. 365. p. 2. praefixo anno 1484. crassiore calamo sequitur Officium de S. *Gertrude Pipini* et *Ittae*, sive, ut Noster, *Hyttae* Filia nata a. 631. aut 32. *Nivellis* in Brabantia, et ibidem sacrarum Virginum Antistita usque ad a. mortis 664. jamque a *Beda* in *Martyrologio* memorata ad diem XVI. *Kal. April.* ad quam diem etiam a *Bollandianis* ejus Acta traduntur T. II. *Mart.* p. 592. Testantur hi, cultum ejus etiam per Dioeceses germanicas *Salisburg. Passav.* et *Ratispon.* vigere, id, quod et Codex noster probat. Incipit is a *Vesperis*, quae prout *Matutinum* et *Laudes*, omnia propria habent, Hymnos, Antiphonas et Responsorialia. Subduntur VI. *Lectiones*, quibus enarratur ejus vita, quarum primam hic dabimus. *Venerabilis virgo Gerdrudis nobi-*

2139

LITURGICI.

2140

nobilissimo, ut tradunt hystorie, francorum rege pipino (verius Duce, et Majore — Domus Regum Austrasie) exorta est matre quaque nobilissima atque prudentissima nomine Hytta, que quondam, ut fertur, dum impregnata esset, in romano itinere, quo sanctorum apostolorum limina uisitauerant, peregrinum quendam obuium habuit, qui presciens innata virginis miram sanctitatem reginam cum fletu salutauit, regem uero salutare contempsit. Qui statim a rege interrogatus, cur hoc fecisset, respondit: Nec te nec reginam, sed quam in utero habet, virginem Deo dicatam salutauit. Ipsa ergo sancta uirgo Gerdrudis in utero matris

deo est dicata. Nihil de hoc Bollandiani; reliquae uero Lectiones depromptae sunt e Vita, quam illi exhibent a C. 1. usque ad 3. ita tamen, ut a uerbis: Deo desideratum reddidit spiritum, desciscat Noster, et ita concludat: Omnes uero, qui aderant, suauissimi odoris fragrantiam (ita olim frequenter l pro r) senserunt, et corpus eius in ecclesia beati petri apostoli cum magna deuotione et digna reuerencia sepelierunt. Quaedam alia leuiora etiam per decursum variant.

III. fol. 376. p. 2. ut quandoque uertamus Seria ludo, adscripta est sequens de S. Martino Turon. Cantilena.

Pontificis eximij in sand Mertens ere
 Patronique largissimi den schol wir loben sere.
 In cuius festo prospere zw weine werdent moste,
 Et qui hoc nollet credere, der lasz dy wurfen chosten
 Martinus christi famulus was gar ain milder herre
 Ditari qui wlt sodule, der volg nach seyner lere,
 Et transmittat hic stantibus die pbennig aus der taschen
 Et donet scientibus den wein in grossen flaschen,
 Detque esurientibus dy gueten faysten praten
 Gallinas cum caponibus, wir nemens vngesoten,
 Vel pro honore dirigat dy gens vnd auch dy anten,
 Et qui non bene biberit, der sey in dem panne.

Accedit Literarum Hebraicarum latina, si Superis placet, Significatio.

DCCCXCII.

R. 3031 Codex partim membranaceus, partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 170. f. fat probe scriptus, rubricis distinctus hanc in

antiore theca Notam praefert: Iste liber est Domus porte beate Marie in axpach Ord. Carth. et hunc librum habemus a domino petro sacerdote et Donato nostro prope Danubium. Donatos intellige, qui, ut loquuntur Statuta Carthuf. a. 1368. Ordini se et sua dederunt et nobiscum resident continue. Est uero Exemplar aliud Matutinalis

Z 3